

37

73

DE
FEBRIBVS GASTRICIS
BILIOSIS



PRAESIDE

MAGNIFICO ACADEMIAE RECTORE
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.

PUBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. VTL. ITEMQUE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE,
ORDINIS MEDICI H. T. DECANO,

D. XXVII. AVGUSTI CICICCLXG.

DOCTORIS MEDICI HONORES

RITE CAPESSVRVS

PAVCA QVAEDAM

DISSERET

AVCTOR

F R I D E R I C V S W I T T E ,
P R I T Z W A L C K A - M A R C H I C V S



T R A I E C T I A D V I A D R V M ,
E T Y P O G R A P H E O A P I T Z I A N O .

HEBRIBAS - GASTRICIS
PHEROS

MAGNICO ACCIDUUM RECUTORI
PETRO ILLAVINETTE HARTVANNO

D. XXII. VACASII. CICICCIUS
DECOTIUS. MELIUS. MONES

ALIA. GASESSANA

SESTY CHABAN

SEXTUS

AMATO

LIPPIUS CAS. WILLE

SITIWACZ. MARCICUS

TESTIMONI. DE LAVINIANO
A. SUGER. THER. TESTIMONI



PROOEMIVM.

Multis omnino difficultatibus me pressum esse, ingenue fateor, cum de feligenda materie, huic specimini academico opportuna, dispicerem: quod vires meas eiusmodi operi, et rite pertractando, et ab argumenti nouitate lectoribus commendando, impare sentiebam. Proinde sequentem commentationem soli benigniori lectorum censurae submittio, eas complexuram doctrinae medicae

A parti-

particulas, quas super selecto argumen-
to debo institutionibus excellentissimorum
praeceptorum meorum; illustris nimirum
RICHTERI, magnae Britanniae regis a con-
siliis aulicis, et celeberrimi GOLDHAGENII,
Borussorum regis in rebus metallicis a con-
siliis, nuper praematufo fato abrepti, et de
me immortaliter meriti; qui posterior in pri-
mis in instituto clinico regio Halensi, cui
praeerat, in artis nostrae exercitium me ad-
duxit. Eo tempore, au^tumnno nimirum
 anni CCCCCCLXXXVI. status morborum
 epidemicus, qui Halae obseruabantur, ad
 indolem gastricam potissimum pertinebat.
 Viginti septem aegrotos, hoc febrium gene-
 re adfectos, in praedicto instituti clinici no-
 socomio meae curae speciatim commissos ha-
 bui: ex quorum accurata obseruatione se-
 quentes ortae sunt theses; quas ut beneuole
 suscipiant lectores, obseruanter rogo.

§. I.

§. I.

Nominis ratio.

De quibus in praesentia acturi sumus, febres, biliosae vulgo dictae, aptius nobis *gastricae simplices* appellantae videntur, quandocunque cum aliis non sunt complicatae: quod natura humani corporis hanc ipsam materiem, a qua haec febris excitatur, sive sit ipsa bilis, sive humor quidam biliformis, in massa sanguinis aut aliorum humorum haerens, et aut copia, aut varia corruptione atque acrimonia, peccans, potissimum per abdominalia colatoria, verbi causa, ventriculi, intestinorum renumque eliminare solet. **BAGLIVII** febres mesentericae, et **HEISTERI** intestinales cum nostris conuenire videntur. Petechiae autem febris nomen, quo etiam hae febres interdum a quibusdam designantur, maxime est inopportunum: quod petechiae symptomatice huic morbo superuenientes, partim sunt infrequentissimae, adeoque neutiquam necessariae, partim ipsas has febres salutari crisi non soluunt.

§. II.

Causa sedesque harum febrium.

Quotiescumque igitur praedicta materies biliosa aut biliformis (§. I.), sive ob abundantiam, sive ob

A 2

corru-

corruptam ex varia acrimonia indolem, nervis vasculisque sit molesta, horum sensilem irritabilemque vim suo stimulo irritat, adeoque febrem infert. Hinc ipsa haec morbosae matres efficacius mota ad varia corporis colatoria, praesertim abdominalia, deponit, ibique turget; ut pathologi loqui solent. Ex physiologicis autem demonstrationibus fatis constat, infinitam vasculorum exhalantium vim in toto ventriculi intestinalorumque tractu terminari: ex quibus, velut sudoris in modum, ex sanguine liquor gastricus et intestinalis deponitur; quocum utroque delatae, simul et ex humorum massa expulsae variae inutilles particulae dein per aluum eiiciuntur. Fac vero, augeri nunc a febre mota istum sudorem intestinalem, simulque cum eodem turgescentis in humorum massa materiae morbosae expulsionem, exorietur inde colliquies gastrica. Ad quam facilis huc deponenda plurimum confert iam praefens viscerum abdominalium primarumque viarum imbecillitas.

§. III.

Caußae reliquae.

Sed praeter haec aliae accedunt caußae quae homines ad concipiendas eiusmodi febres praedisponunt: verbi causa, transpiratio cutanea, aut immunita, aut suppressa, ex variis rationibus, refrigerio post aestum subitaneo, tempestate humida, climate aut solo vido, habitatione angusta et depressa, et id genus multis aliis orta; quae omnia partim ex uniuersitate

uersali, partim ex topica indole atque constitutione dependent. Vnde etiam facile intelligitur, quomo-
do fiat, vt febres biliosae mox epidemicae, mox
passim endemiae et fere topicae obseruentur. Neque
ex hic obscura est ratio, cur natura has febres, ex-
purgatis antea primis viis, potissimum per sudorem
vrinamque critice soluat. Sed incident quoque in-
terdum sporadicae huius generis febres; quarum ori-
ginem ex plane singularibus et per occasionem illatis
caussis deducendam putamus. Huc referri possunt
varia irritamenta, sistema biliarium peculiariter ad-
ficiencia: exempli gratia, grauiores animi affectio-
nes, ira, terror, curae, sollicitudines, et quae sunt
ceterae; porro reliquiae alimentorum glutinosae,
austerae, corruptae, aliaeque in ventriculo collectae,
pituita denique, aut copia, aut vitiata indole, pri-
mis viis infesta.

§. IV.

Stadia harum febrium.

Stricte quidem aequae his in febribus, ac in
plerisque aliis, duo tantum animaduertuntur *stadia:*
cruditatis alterum; alterum coctionis. In priori ma-
teries morbosa adhuc humoribus inhaeret, et cum
iisdem per vasa circumit: in posteriori vero eadem,
auctis motibus febrilibus, magis magisque subacta,
ad varia colatoria corporis, quibus expelli potest,
transfertur. Sed sunt diuersi haud incelebres me-
dici, et inter hos quoque meus quondam praece-

A 3 ptor,

ptor, GOLDHAGENIVS, qui, pro diuersitate febrium biliolarum, mox tria stadia, mox vnicum tantum, adsumunt. Tria potissimum, cruditatis nempe, coctionis, et absolutae solutionis, obseruari adfirmant, si his in febribus *aut* manifesta sordium in primis viis praesentium signa desunt; *aut* adsunt; *aut* adhuc in massa sanguinea haerent. Vnicum vero stadium iisdem febribus concedunt, si solus ventriculus cum intestinali tubo his sordibus scatet, quae hinc facile eiiciuntur a).

§. V.

Praecipua harum febrium signa.

Sed magnopere quoque refert, quibusnam signis hae ipsae febres ab aliis sint distinctae. Licet enim ipsa aegri constitutio priuata, aut epidemius endemiusue dictarum febrium status his in signis aliquid mutent: praecipua tamen magisque constantia signa sunt sequentia. Primo deprehendimus arteriarum ictus contra naturae ordinem celerrimos atque veloces, neque tamen nimis debiles aut nimis fortes; ad haec aestum febrilem, naturali celeritatis proportioni neutquam respondentem, simulque subitaneam virium defectionem, sine manifestis causis aut putredinis signis. Lingua flauescit, aut saltet aliquot flauae striae eiusdem dorso insident: tuncque simul lingua vel parum, vel mediocriter, vel prorsus est impu-

a) Confer GRAND über die epidemischen Casarrh. Fieber; pag. 185.

impura. Ipsa autem flauedo vel in pallidum aut potius paleaceum, vel in croceum, vel in fuscum colorem vergit. Sapor est vitiatus vel mane tantum, vel per alterna in die interualla, vel perpetuo amarescit: qui postremus summam primarum viarum impuritatem biliariam designat. Anima aegroto foetet, vel semper, vel, dum ructus erumpunt, tantum. Praeter ea adsunt anorexia, nausea, vomiturations ipsique vomitus, anxietates atque inquietudines, tensiones doloresque abdominales, et id genus alia. Aluinæ feces mox maxime foent; mox croceo, fusco, viridiue colore sunt tinætae. Vrina est turbida, simulqne saepe crocea. Sanguis, forte ex seæta vena emissus, serum dimittit flauum cum aliquo virore; saepe quoque crustam format inflammatoriam, itidem flauam. Inseparabile etiam harum febrium symptoma habetur grauis cephalalgia, cum vertagine, visus hebetudine, et dorsi omniumque artuum dolore complicata. Ex his igitur omnibus coniunctim summis cognoscitur febrium gastricarum simplicium praesentia.

§. VI.

Variae harum febrium formæ.

Non immerito celeberrimus STOLLVS indolem formamque harum febrium dixit Proteiformem. In aliis enim aegrotantibus febris haec satis adeo manifesta: in aliis vero adeo imminuitur, vt fere absensem putas; verbi causa, si copiosae haemorrhagiae,

para-

paralyses, epilepsiae, aliisque spasmī, accedunt b). Febrēs porro gastricae biliosae sunt aut *simplices*, aut *complicatae*. Simplicem statum cognoscimus, si nulla topica inflammatiō aut aliud febrium genus coniungitur; complicatum vero, quandocunque complicatur cum febre quadam inflammatoria, aut putrida, aut lenti neroosa. Ex *priori* complicatione oriuntur febrēs inflammatoriae biliosae, ex *altera* febrēs gastricae putridae; ex *tertia* febrēs gastricae lentaē neroosae.

§. VII.

Modificationes harum febrium vnde?

Variae autem praedictarum febrium modificationes, vt vulgo vocantur, non sine certis fiunt de caussis: quas nunc plerasque strictim recensebimus. Dependent nimis primo ex varia sordium collectarum indole; verbi causa, si putrida corruptione infectae in abdomine deprehendentur, vt in plerisque auctumnalibus huius generis febribus accidere solet; aut si alia quaedam acrimonia iisdem inhaereat, ad diathesin inflammatoriam proclivis, febribus gastricis vernalibus familiaris. Dependent porro ab ipsa priuata corporis aegroti constitutione et temperie, exempli gratia, cholERICA; tum a variis caussis externis, quarum quasdam paulo ante attigimus (§. II. III.), verbi causa, in febribus castrensis; a constitutio-ne denique epidemica. Inter has febres maximum mina-

Vid. L. L. FINCK von Gallenkrankheiten.

minatur periculum febris *gastrica putrida* et *neruosa*;
minus *gastrica inflammatoria*; minimum *gastrica simplex*. Sed, vt sit, hae singulae saepe numero inter se vario modo graduque complicantur: tunc *ia*
harum febrium denominatione is ipse character, qui
maxime et potissimum eminet, alteri praeponitur;
verbi gratia, febris *gastrica inflammatoria*, vel *inflammatoria gastrica c)*. Interdum quoque cum dia-
thesi sanguinis putrida biliosae febres complicatae
deprehenduntur *d)*. Haud raro quoque hae febres
cum topicis inflammationibus sunt coniunctae; vti
pleuritides, anginae, et cert. biliosae testantur. Sae-
pe quoque biliosis febribus superueniunt varia exan-
themata et excretiones praeter naturales: ex ipsis,
verbi causa, maculae scarlatinae, vrticatae, pete-
chiales, et cert. ex his vero vomitiones, diarrhoeas,
dysenteriae biliosae, et aliae.

§. VIII.

Harum febrium typus.

Vario quidem typo ludunt hae febres: com-
mode tamen aut ad *remittentium*, aut *intermit-
tentium* genus referri possunt. Proinde etiam in tam
diuerso variationum lusu difficile est, et de certis at-
que

c) Conferatur cel. PRINGLE von den Krankheiten der Armee.

d) Vid. MERTENS de febribus putridis, et PRINGLE von den
Maschfieber; p. 173.

que constantibus harum febrium sympromatibus, et de statuta atque ordinaria cogitare crisi. Tot igitur huius febris sunt formae, totque et multiplices complicationes, ut fere ad sordium praesentium indolem solam attendere oporteat medicum, si, quorundam referat priuatam huius generis febrem, definire velit.

§. IX.

Medendi Methodus.

Medicum autem, his febribus medicaturum, ad sequentes indicationes medendi methodum dirigere oportet. Primo igitur medentis interest, cum ad aegrotum accedit, ad sordium biliosarum expulsionem animum aduertere. Hae autem sordes sunt *aut* iam mobiles, hoc est, euacuationi aptae; *aut* immobiles et plerumque sanguini adhuc inherentes, adeoque per opportuna remedia, verbi caussa, diuentia, saponacea resoluentia, salina media temperatiora, et cetera extricandae. Ergo si mobiles sunt sordes, sola sufficit euacuatio, sed iuste et caute instituta. Huc igitur referas sequentes cautiones. Caeue nimirum ante omnia, ne et nimis prae mature, et nimis frequenter euacuantia propines. Vix enim sub primo ad aegrotum ingressu definiri potest, quanto euacuatione opus sit: alioqui, si fecus feceris, debilitabis maxime aegrotum. Quid? quod eo maior requiritur circumspectio, quo minoribus viribus pollet aeger: quoniam quodlibet catharticum non-

nonnihil debilitat, sordesque ipsae, nondum satis mobiles, inopportuna catharsi immobiliores redduntur. Nisi ergo praesentia his in febribus symptomata vrgeant, catharsinque necessario postulent, consultius est, quam diu fieri potest, catharticorum et emeticorum differre vsum: quo diutius enim adhibentur resoluentia, eo mobiliores sunt sordes atque euacuationi opportuniiores.

§. X.

Idem argumentum continuatur.

Sed accidit interdum his in febribus, ut matura catharsi opus sit: verbi cauſſa, si vehementes capitū dolores, deliria, grauesque haemorrhagiae vrgeant, mobiliumque simul sordium signa adſint. Sed haec cathartica fint temperatissima: quoniam ſub dictis harum febrium conditionibus maxima plerumque virium adeffe ſolet deieſtio. Neque ſemper pura lingua his in febribus sordium absentiam deſignat, niſi etiam reliqua conſenſerint ſymptomata: ſi fecus ſit, resoluentium vſu continuato sordium mobilitas efficiatur. Eadem quoque cautio valet, ſi in biliosis febribus nimium tenax atque viſcida pituita ſanguini inhaeret, sordiumque biliosarum extri- cationem impedit. Hic enim ſola laxantia eſſent nocitura: niſi simul pituitae diſſoluenda ratio habeatur. Proinde eximii vſus hic ſunt extracta et gummatia faponacea; verbi cauſſa, mellago grami-

B 2

nis

nis et taraxaci, gummi ammoniacum; porro mel purum et oxymel; antimonialia, in refractis dosibus data: e. g. kermes minerale, tartarus emeticus, aqua benedicta RVLANDI, vinum HVXHAM, etc. Haud raro quoque nimia spissitudo humorum corporisque siccitas biliosas fordes immobiles reddit. Ergo humectante et diluente hic opus est methodo. Impera aegro sufficientem potum aquosum, ex ptisanis resoluentibus et aperientibus constantim. vt exinde quoque largior liquoris intestinalis ad intestina adfluxus proliciatur. Nec dormiat aeger in conclauibus calidis. Ordinanda denique sunt saepius clysmata demulcentia et emollientia, nullo vnuquam drasticō interpolata. Ita fiet, vt sensim fordes mobiles et euacuationi opportunae reddantur, et lingua denuo humectatur.

§. XI.

Eiusdem argumenti.

Sed alia saepe deprehenditur harum febrium conditio, in qua biliosa colluvies nondum in intestinali tractu habitat, sed in vniuersa sanguinis massa dispersa, extircationem exspectat. Hanc ergo euolutionem et eliminationem adiuuare oportet medicum. Neque vero his fordinibus biliosis via ad cutem paranda est, nisi varias inopportunas habitus cutanei maculas, v. g. petechiales, excitare velis. Sufficit hic regimen temperate frigidum et moderatus saluum medio-

mediorum usus: unde commodius sordes ad colatoria intestinalia alliciuntur. Sed duplex hic adeſſe solet morbi ſtatus. Aut enim dictae impuritates biliosae vbiq;e adhuc in fanguine oberrant. Tunc abſunt ſigna praefentis in ventriculo atque intestinorum canali ſaburrae biliariae; adeſt plerumque febris maxime aeftuosa, cum pulſu ſatis pleno. Hinc mediocrem ſanguis copiam ex vena ſecta educere, valde conducit: quippe effuſio ſordium in primas vias plurimum inde adiuuatur. Aut ante memoratae ſordes, iam ad exitum per cola intestinalia paratae, variis ſpasmis retinentur et velut incarcerantur. Hoc cognoscimus ex pulſu aegrotantis paruo et contracto, praecordiorum anxietate et inquietudine, vrina palida, dolore abdominali, haud raro totius corporis tremore, aeftu modico, etc. Hic conducent anti-ſpasmatica, demulcentia, antiphlogistica laxantia et resoluentia, febri ipſi tamen non aduersa: v. c. refractae Ipecacuanhae doſes, ſpiritus MINDERERI, clyſteres antiſpasmodici, cataplaſmata, fomenta abdominalia, ex herba cicutae, floribus ſambuci et chamaomillae, et cet. embrocationes oleofae, linimentum volatile, et id genus alia.

§. XII.

Idem argumentum pertractatur.

Postremo denique ſunt huius generis febres, in quibus nec dum quidem impuritates biliosae tubum

bum alimentarium subierunt, extricatae tamen ex sanguine iam sunt, et in finibus intestinorum arteriosis iam haerent ad transitum paratae, nec ulli spasmorum genere impeditae. Hic caue, venam feces. Sufficient mitissima salia media ad euocandas in primam viarum caua has fordes: quae ipsae iam mobiles et ad euacuandum aptae reputari poterunt. Cognosci autem hic status potest, si nulla aut pituitosae colluuiei, aut nimiae sanguinis densitatis vel siccitatis, aut incarcerationis harum fordium, aut indicatae venaelectionis in pulsu signa animaduertantur.

§. XIII.

Cautelae quaedam specialissimae.

Specialissimas medendi cautions nunc striximus tantummodo tangemus: quippe quas celeberrimi viri, STOLLIVS e) et VOGELIVS f), aliique ab hoc excitati scriptores iam luculentius, iustisque cum rationibus, tradiderunt. Venae sectio nocet, nisi peculiaris is status, quem diximus (§. XI.), adsit: alioquin acrimoniae biliosae in egressu impediuntur, debilitantur vires, augetur in putredinem proclivitas. Admittitur tamen, si aeger sit summe plethoricus, aut inflammatio simul complicetur. In mobilibus foribus, si turgeant sursum, da emeticum;

e) In *Aphorismis de febribus*; pag. 123. seq.

f) Im *Hanabuch*; I. Th. Cap. VI.

cum; si deorsum, laxans; si vtrinque, emetocatharticum. Si spasmi complicantur, hos antea, quam euacuans propinatur, sopiri oportet. Hyperemefin hic a nimia neruorum sensilitate ortam moderatur vesicans epigastrio impositum. Absint aloëtica; absint ipsa rhabarbarina, nisi penitus sublata sit febris. Anceps hic sordium praesentium signum est linguae impuritas: nam, etiam post superatam febrem, sola ventriculi atonia inquinat linguam. Peruviano cortici nullus hic est locus; nisi febris in putridam aut hecūcam mutari videatur, aut intestinorum tonus post febrem plane sit deiectus. Commode hic China laxanti iungitur medicamento. Quando febres hae etiam in putredinem vergunt, abstine ab acido minerali. Diaeta denique huiusmodi aegrotantium sit tenuis, diluens, vegetabilis: regimen subfrigidulum, immo saepe in aere libero, si tempestas permittit.

A detailed woodcut-style illustration of a circular wreath. The wreath is composed of two concentric rings of foliage, possibly laurel or ivy, with small flowers and buds interspersed. A single, long, thin ribbon or sprig of leaves hangs vertically from the center of the wreath. The entire wreath is set against a background of dense, handwritten-style Latin text that covers the entire page.





DE
FEBRIBVS GASTRICIS
BILIOSIS

* * * * *
PRAESIDE
MAGNIFICO ACADEMIAE RECTORE
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,

PHIL. ET MED. DOCT. PATHOLOG. THERAP. CHEM. ET MATER. MED. PROF.
PVBL. ORDIN. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECTOR. MOGVNT. ER-
FVRT. SCIENT. VTL. ITEMQVE SOCIETAT. BEROLINENS. NATVR.
SCRVTATOR. ET DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE,
ORDINIS MEDICI H. T. DECANO,

D. XXVII. AVGVSTI CICIOCCCLX.
DOCTORIS MEDICI HONORES

RITE CAPESSVRVS

PAVCA QVAEDAM

DISSERET

AVCTOR

FRIDERICVS WITTE,
FRITZWALCKA - MARCICVS.



TRAJECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO APITZIANO.